

Christian Gottlieb Koch


**S. Hieronymus Comment. L. IV. In Jerem. C. 19. Op. T. V. p. 260 Qvanqvam Sibi
Judæi Auream Atqve Gemmatam Hierusalem Restituendam Putent &c. Qvæ Licet
Non Seqvamur, Tamen Damnare Non Possumus, Qvia Multi Ecclesiasticorum
Virorum Et Martyres Ista Dixerunt**

Flensburgi: Literis & Impensis Christoph. Vogelii, 1708

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1046043854>

Druck Freier  Zugang





F.C-3853 1.2.

1025
**S. HIERO-
NYMUS**

**COMMENT. L. IV. IN JE-
REM. C. 19. Op. T. V. p. 260.**

**QV ANQVAM SIBI JUDÆI AUREAM
ATQVE GEMMATAM HIERUSALEM RESTI-
TUENDAM PUTENT &c. QVÆ LICET NON
SEQVAMUR, TAMEN DAMNARE NON POS-
SUMUS, QVIA MULTI ECCLESIASTICO-
RUM VIRORUM ET MARTYRES
ISTA DIXERUNT:**

EXPOSITUS ET VINDICATUS

CHRISTIANO Gottlieb Koch/D.
Facultatis Theologicæ in Academia Kiloni-
ensi Assessore, Diœceseos Apenradensis
Vice-Præposito &c.



FLENSBURGI,
Literis & Impensis **CHRISTOPH. VOGELH.**
Anno 1708.

F. C. - 3853 / 2.

2. THEER-
NYMUS
COMMENT. I. IV. IN JE
REM. C. 19. Op. T. V. p. 100
OVA NOVAM SIEBUDAI AUREAM
ATQUE GENVA DAM FERRALIAE
PINDARICENTAE OVA LICHTON
SECVS PAVI AMBROSII ANASTASII
SEMIS OVA MOSE BOCLEMANNO
RINA VIKORUM ET MARTIN
ATA DIERLINT

*Bibliotheca
Academica
Rostochiensis*



CANDIDE atq; BENEVOLE
LECTOR.

Perplexum & vexatissimum quendam Hieronymi locum explanaturus & vindicaturus, eodem jure me uti posse existimo, quo antea usus est ERNESTUS SALOMON CYPRIANUS, cum ejusdem Hieronymi librum de Scrip- toribus Ecclesiasticis ederet (a). Is enim neq; læsus, neq; laceffitus, sed procacissimus, & ex mero calumniandi & litigandi pruritu finistram plane & iniquam mei mentionem fecit, meq; oppugnavit. Et quamquam meliora edoctus (b) stimulis- que conscientiae agitatus atqve convictus litigium, cujus auctor exstiterat, finituum promiserat, denuo tamen illud inchoare & innovare videtur. Incidi enim nu-

A 2 per

(a) Hieronym. Catal. Script. Eccles. p. 249. (b) Cen-
sura iniqua & temeraria Censura.

per in *Ephemerides Eruditorum*, nec sine admiratione illa legi (c): *Ernest. Sal. Cypriani Vindictia Justiniana, sive pro Justini Martyris Dialogo cum Tryphone Dissertatio Apologetica, qva Veterum Doctorum Ecclesie, qvi filium DEI Patris ministrum dixerunt, orthodoxia vindicatur. Jenæ impensis J. Bielcky 1705. in 12. p. 48.* Pergit post hæc *Ephemeridum* auctor, & sequentia subnectit: Le Docteur Koch a écrit pour prouver que le celebre Dialogue de S. Justin Martyr avec Tryphon n'est point en effet de S. Justin, mais qu'il est plutot l'ouvrage de quelque faussaire Arien; ce jugement porte sur certaines expressions, qui ont paru à M. Koch être favorables à l'Arianisme. M. Cyprien dans des Notes sur le livre de S. Jerome des *Ecrivains Ecclesiastiques* a attaqué celle opinion de M. Koch non pas à la verite fort au long sur la pretendue supposition de Dialogue, mais pour avertir simplement de l'inconvenient on se jette le D. Koch, en pretant des armes au parti des Sociniens, & leur donnant un homme dont l'autorité est aussi grande & aussi venerable que l'est celle de S. Justin. M. Koch, a repondu tres-aigrement & d'une maniere

(c) *Journal des Sçavans 1706. p. 458.*

ere plein de mepris , & M. Cyprien croit
 etre tres-moderé dans sa replique , bien
 qu'il y paroisse beaucoup de fiel & d'animo-
 site. &c. Le livre ne fournissant point de
 nouvelle critique pour établir l'authentici-
 té du Dialogue de S. Justin , & d'ailleurs
 l'orthodoxie des premiers Peres ayant été
 soutenue par des grands hommes dont M.
 Cyprien emprunte ses reponses , on ne
 trouve ici , que ce , qui est rebatu dans les
 ecoles de Theologie.

Fateor, multos quidem mihi recensuis-
 se , Cyprianum me denuo satis acerbe
 insultasse, sed illorum verba velut incer-
 tum rumorem respui, hæcquæ in Ephemer-
 idibus legens, vix fidem oculis meis habui.
 In viro enim bono honestoque illum ani-
 mum mihi proponere non poteram, qui
 fidem semel datam perque alios scriptis
 confirmatam in æternum sui dedecus &
 ignominiam tam fœde turpiterque sit vio-
 laturus. Nam postquam 1704. Censuram
 iniquæ & temerariæ censuræ edideram,
 & Cypriani iudicium de innocenti meo li-
 bello inique latum examinaveram, hocce
 se dubio procul premi & in angustias re-
 ductum videns, Summe Reverendum Dn.

D. Carpzovium vel disposuit, vel nescio
 quomodo movit, ut lites nos inter de Ju-
 stini Dialogo ortas componat. Venera-
 bilis hicce Præsul pacem amans concilians-
 que indicat hoc Celeberrimo Dn. Dasso-
 vio, qui illius nomine sequentes ad me exa-
 ravit literas.

S. & O.

MAXIME REVERENDE AMPLISSIME EX-
 CELLENTISSIMEQUE VIR, FAUTOR
 AMICISSIME.

„**S**alutaris officiosissime & peraman-
 „ter à Samuele Benedicto Carpzovio,
 „Concionatore Aulico Dresdensi summo
 „& Consiliario, simulque rogaris huma-
 „niter, ut iras adversus Cyprianum, si
 „deponere nondum possis, saltem miti-
 „ges, ne in asperas erumpere voces vide-
 „antur. Se enim cum Cypriano jam esse
 „collocutum ea de re, illumque promi-
 „fisse, se nullas amplius acerbitates in D.
 „Kochium congesturum. Causa cur il-
 „lud enixe petat sanctissimus Præsul hæc
 „est, ne Arnoldus arripiat occasionem,
 „ejusmodi loqvendi rationes cumulandi,
 „quibus nostrates Theologi in se ipsos in-
 „vehan-

vehantur. Impense Tibi favet Carpzovius, & inter alia in meis literis his verbis utitur: Mirifice fateor me affecit, cum legi, quæ D. D. Kochius Peterfenio opposuit pessimo scripturæ & antiquitatis depravatori. A me autem exigit, ut optimum D. Kochium disponam, & ita rem referam, ut benigne eam interpreteris. Ita autem existimo, si quæ acerbitates in alterum conjectæ sint, illud ex justa indignatione abs Te factum esse, nunc vero cum antagonistâ suarum vocum peniteat, & palmam porrigat, posse Te eam arripere, & dulci gaudio Ecclesiam nostram Carpzovium perfundere. Summa est victoria, ut ait Chrysofomus, vincere mansuetudine, & quo magis hanc persequimur, eo magis ad DEUM accedimus. Sed hæc nosti optime. Quid autem sentias de hoc consilio, quæso aperias Tuis literis, ut referre D. Carpzovio communi amico nostro possim. Ego qui ægre huiusmodi partes suscipio, confido, Te dulci oculo & blande lecturam epistolam, ab homine Tui & pacis cupidissimo scriptam, qui rosas loqui voluit ad minimum, si non potuit. Deus

A 4 Te

„ Te amet, & Tui caussa omnia constanter
 „ velit, ut ingenio, fama, fortunaq̄ve flo-
 „ reas, & facram rempublicam porro mo-
 „ dereris felicissime. V.

T. Maxime Reverendæ Excellentiæ

Kilonii, precibus & officiis

d. II. August. 1705.

addictissimus

THEOD. DASSOVIVS, SS. Theol. &
 LL. OO. Profess. & ad D. Nicol.
 Past. Primarius.

Respondi iisdem 28. August. d. a. fi-
 demq; dedi, cum videam Cyprianum sua-
 rum vocum pœnitere, eumq̄ve Summe
 Rever. Dn. Carpzovio promississe se nullas
 in me acerbitates esse congesturum, me
 servatis hisce promissis nec Cypriani fini-
 stram mentionem facturum, & inter nos
 hæctenus acta plane oblitteraturum esse.
 Atq̄ve hanc semel datam fidem sancte ser-
 vavi, nec Cypriani posthæc sinistre me-
 mini, sed potius publice professus sum (d),
 lites illas interpositione nunq̄vam satis de-
 prædicandi Dn. Carpzovii & Dassovii com-
 posi-

(d) D. Pauli Conjugium. Præfat.

positas atq; oblitteratas esse. Vide autem
 candide lector & intuere paulo accuratius
 Cypriani animum. Teste Dn. Dassovio
 vocom, quas antea in me evomuit, ipsum
 pœnituit, & jam illas defendit. Summe
 Reverendo Dn. Carpzovio promittit, se,
 nullas acerbitates in me esse congesturum,
 & teste Ephemeridum auctore, a partium
 studio alieno, ita contra me scribit, qu' il
 y paroisse beaucoup de fiel & d' animosité.
 Hiccine Cypriani, magni Theologi, can-
 dor? Hæccine ejusdem fides & pietas?
 Quid quæso honesti, candidi piique? quid
 extra ecclesiæ gremium constituti de hoc
 Theologo judicabunt, tanta perfidia ordi-
 nem suum dehonestante, nec illa SENECAE
 considerante (e): *Fidem qui perdit, nihil potest
 ultra perdere, fides unanima unde abiit, nunquam re-
 diit, nemo unquam perdit, nisi qui non habet.* Hanc
 ergo cum perdidit Cyprianus, QUINTI-
 LIANI non immerito in ipsum quadrant
 verba (f): *Non habet causam loquendi, cui non
 potest credi. Der hat keine Ehre zu reden/dem
 man nicht glauben kan.* Atq; hæc non parū
 me movebunt, quo minus Cypriani vin-
 dicias accuratius sim examinaturus, cum

A 5

præ-

(e) in Proverb. (f) Declamat. 19. §. 15.

præter hæc monente Ephemeridum auctore nil novi afferat ad stabiliendam Dialogi auctoritatem, sed a celebrioribus dicta inque Theologorum scholis excussa recoquat. *His autem, verba sunt MELANCTONIS (g), nemo prudens movetur; Non enim magna est auctoritas in testimoniis posteriorum, qui non genuerunt sua scripta, sed tantum compilatis superioribus transfuderunt illas opiniones ex aliis libris in alios, nihil iudicii adhibuerunt, sed ut pedanei senatores tacite comprobarunt superiorum errores non intellectos*

Cæterum, ut præsentis instituti rationem exponam, en! brevissimis illam habe. Non sine admiratione & indignatione vidi, Chiliaftas Hiernoymi locum adeo pervertere, ut eum ad errorum fuorum patrocinium pertraherent, & velut invictum clypeum objicerent, nostrates quoque in enodatione illius magno opere & ferme frustra desudare, latebrasque qværerere, qvas pertinaces adversarii rident. Cum itaque clara & solida qvædã hujus loci expositio necessaria videretur, sequenti modo illam dare utile duxi. Primo quidem de auctoritate Hieronymi & qvate-

(g) *Apol. A.C. p.174.*

qvatenus Chiliaftæ eadem ad palliandas delirationes suas abutuntur, egi; Huic responfiones noſtratium ſubjuxi & fundamentum illarum ſedulo indicavi; Poſt-hæc ipſum perplexum & obſcurum locum enodavi, clare expoſui, & vindicavi. Nullius, nullus gratiam hic captavi, ſolam veritatem, quæ mihi ſumma ſemper lex eſt, indagavi. Quod ſi hæc quibusdam non placuerint, & hoc ſtudium vitio mihi verterint, ſciant velim, me ab Hieronymo didiciſſe (h): *Non ſic adulandum eſſe principibus, ut ſanctarum ſcripturarum, ſanctæ antiquitatis veritas negligatur.* Modeſte autem me geſſi, neminem lacesſivi, & bono animo mentem Hieronymi inqviſivi. Nihilominus tamen ſi noſtrorum temporum conditionem mecum perpendo, in quibus contraria & meliora ſentientes ferre nolumus, bruta autem & mancipia cœco obſeqvuo in magiſtrorum ſuorum placita jurantia optamus & fovemus, præſaga mente, cum S. Hieronymo cerno, quantorum in me rabiem ſim concitaturus, & ſi ad illam exhorreſcerem, aut hodiernum,

diſpu-

(h) *Comment. in Eſaiam l. XI. Proœm. Op. T. V. pag. 121.*

disputandi modum metuerem, quo non argumentis, sed calumniis & famosis libellis responderetur & certatur, fatius fuisset veritatem hanc abscondere, quam in lucem protrahere & defendere. Verum enim vero cum hactenus insanam adversariorum meorum rabiem non timuerim, DEI gratia suffultus & corroboratus posthæc illa non movebor, nec perturbabor. Erit enim in me iste animus, qui in Hieronymo (i): *parvipendens obtrictatorum rabiem, qui non tantum verba, sed etiam syllabas verborum calumniantur, & in eo se scire aliquid arbitrantur, se de aliorum operibus detrahunt.* Quod si autem quidam neglecta omni honesti ratione calumniis onerare & certare voluerint, ægre non ferant, si quæ nolunt audiunt, dignumq; patina operculum cernunt. Tu autem candide lector hisce in comodum tuum, quod unice promovere studui utere, & cum DEO & die alia adhuc expecta.

(i) *Comment. in Jerem. Proœm. Op. T. V. p. 219.*



CAPUT.



CAPUT. I.

De

AUCTORITATE HIERONYMI
EJUSQUE ABUSU.

- §. 1. Auctoritas Hieronymi magna.
- §. 2. Abutuntur eadem Chiliaſta, laudantque ejus modestiam & lenitatem.
- §. 3. Quinam ex illis.
- §. 4. Modestia & lenitas primaria virtus.
- §. 5. Apud quos adhibenda.
- §. 6. Non tollit refutationem.
- §. 7. Negligitur à Chiliaſtis.
- §. 8. Num Hieronymus in loco citato modestiam & lenitatem ostendat.
- §. 9. Generalis responsio.
- §. 10. Expositionis & vindictiarum momentum.

§.

Magnam Hieronymi semper fuisse existimationem auctoritatemque in Ecclesia, nemo historiae gnarus, ut opi-

opinor negabit, aut in dubium vocabit. **TRITHEMII** iudicio (a) *vir est in secularibus literis valde eruditus, & in divinis scripturis inter omnes Doctores eruditissimus, multarum linguarum peritia insignis, sacrae legis interpret, haeticorum malleus, & expugnator fortissimus. Hic est verus dispensator evangelicus, fidelis & prudens, qui proferens de thesauro suo nova & vera, dansq; in tempore spiritualis tritici mensuram conservis suis, hebraeos superbos spoliavit, humilesq; ditavit latinos. Hic est Ecclesiae Christi Doctor egregius, qui vestes Esau per devia errorum vagantis domitiose reconditas cum pia matre Rebecca i. e. gratia DEI protulit, ac mansuetum Jacob fidelemqve Christo servientem vestivit. Hic est Hieronymus Jesu Christi amator, qui nullum tempus otiose transiens, die ac nocte in lege DOMINI meditabatur, & vix corpori necessario somno indulto semper diebus ac noctibus scripsit, legit, docuit, oravit, quod testantur pene infiniti libri, quos edidit. Hic veritatis defensor, cultor virtutis, vitiorum acerrimus hostis. SIXTO SENENSI teste (b) sub Praeceptoribus suis Appollinari Laodicensi, Didymo Alexandrino & Gregorio Nazianzeno tantam sibi divinarum rerum eruditionem, & eruditionis nomen comparavit, ut in obscuris sanctorum voluminum difficultatibus Romanus Pontifex Damasus, doctissimus Augustinus, Paulinus, Chromatius, Heliodorus, multique alii passim per Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Palestinam, & Graeciam eruditissimi Episcopi*

(a) De Scriptor. Eccles. (b) Bibliothec. S. L. 4.
pag. 301.

ad hunc unum confugerent, tanquam ad eum, qui
multiplici linguarum varietate adjutus, omnes legisset
divinae scripturae interpretes graecos, hebraeos, & latinos.
Hinc GROTIUS (c) magnus auctor est, & asseve-
rante ERASMO ROTERODAMO (d) hunc unum
habet ecclesiasticus orbis utraqve doctrina, sacra &
gentili ut vocant, juxta absolutum. Quid quod?
Doctor clarissimus, contra haereticos leo rugiens (hinc
juxta quosdam cum leone pingi solitus) & com-
mune totius orbis oraculum (e). Multa & ferme
infinita elogia, quibus veteres atque ac recentio-
res Doctores illum ornarunt, quaeque CALIXTUS
(f) & THOMAS POPE-BLOUNT (g) diligenter
collegerunt, ultro silentio praetermittimus.

§. 2. Avide hoc arripiunt Chiliastræ, eo-
rumque affectæ, & sibi suisque opinionibus opti-
me consulere putant, si illius in medium pro-
ferunt verba, quibus Chiliastrarum sententiam
damnare non audet. Ultramque ergo apud illos
facit paginam obscurus & vexatissimus ille lo-
cus (h): *Quamquam sibi judaei auream atque gemma-
sam Hierusalem restituendam putent, rursusque vi-
ctimas & sacrificia & conjugia sanctorum & regnum in
terris Domini Salvatoris, quae licet non sequamur, ta-
men damnare non possumus, quia multi Ecclesiastico-
rum*

(c) Oper. T. IV. p. 488. (d) L. 9. Epist. 15. (e) G. O-
lear. Abac. PP. (f) Testimonia de S. Hieronimo
Editioni FF. 1684. addita. (g) Censura Aucto-
r. p. 252. f. (h) Comm. l. 4. in Jerem. Op. T. 5. p. 260.

rum Virorum & Martyres ista dixerunt, & unusquisque in suo sensu abundet, & Domini cuncta iudicio referrentur. En clamitant, modestiam! En lenitatem fervidi alias Hieronymi & hæreticorum mallei, quia Chiliastarum sententiam damnare non potest, eo, quod multi Ecclesiastici Viri eadem dixerint, & cuique sentiendi libertatem relinquit!

§. 3. Prætexere Chiliaftas eorumq; affectus hujus viri auctoritatem, quem alias parvi ducunt & contemnunt, atque sub hoc palladio se tutos tectosq; arbitrari, ANDREAS RALLIUS (i) WAREMUND FREIBERGER (k) vero nomine Georgius Laurentius Seidenbecher, JOHANN WILHELM PETERSENIUS (l) multiq; alii testantur. Die Urtheil Hieronymi, inquit B. PFEIFFERUS (m) stehet denen Chiliaften aus der Massen wohl an/ und meynen man solle dergleichen Glimpff auch heutiges Tages gegen sie gebrauchen. En modestiam Hieronymi, schreibet Waremund Freyberger in Chiliaf. S. S. 239. pag. 354. Siehe hierin die Bescheidenheit Hieronymi. Er wirfft nicht mit Chiliaften / Phantasten / Enthusiasten / Schwärmern oder Ketzern &c. umb sich / wie gemeiniglich heutiges Tages etliche Prædicanten, Ignoranten, Calumnianten es pflegen zu machen/

- (i) Halcyon. Eccles. Evangel. c. 3. p. 10. (k) Chiliafism. S. pag. 354. (l) Nub. Test. L. 2. pag. 147. (m) Anti-Chiliafism.

chen / wenn sie solche von den lieben Aposteln selbst gepflanzte Lehre bey andern sehen treiben/und dieselbe in ihre schwindelsüchtige Köpffe nicht bringen können. Et quæso quid frequentius, quidve usitatus? quam Chiliastas eorumque affectas de nimio rigore, magna acerbitate & immodestia Anti-Chiliastarum conqveri, quod neglecto Hieronymi exemplo, millennii sententiam rejiciant, refellant atq; damnent. Quo vota, adhortationes & desideria eorundem magis tendunt, quam ut eandem ostendant modestiam hodie, quam Hieronymus olim adhibuit?

§. 4. Fateor modestiam & mansuetudinem seu lenitatem præcipuas ferme esse virtutes, quæ ecclesiæ ministrum & Doctorem decent atque ornant. *Servum enim DEI juxta Apostoli præscriptum (n) non oportet pugnare sed esse ἡπιον πρὸς πάντας, aptum ad docendum, tolerantem malos, ἐν πραότητι παιδεύοντα τὰς ἀντιδιατιθεμένους.* Procul hic sit pruritus litigandi, exulet arrogantia, facessant calumniæ viro honesto nedum Christiano & ecclesiæ ministro indignæ, sed eheu adeo frequentes hodie, ut doctores quidam ipsis scurris pejores videantur, & candidi rerum æstimatores ad multorum polemica aut vero nomine famosa scripta non nisi exhorescere possint. Adsit, adsit modestia & mansuetudo, qua contraria sentientes in viam reduci possunt.

B

§. 5 Hæc

(n) 2. Tim. 2, 24.

§: 5. Hæc inquam necessaria omnino est, meritoq; observanda & exercenda apud contradicentes dociles, qui saniora docentes audiunt, spemqve faciunt, quod meliora edocti errorem sint deposituri. Verum enim vero qui callum obdlexerunt, veritati cedere nolunt, errores præfracte defendunt, & quotidie in pejora ruunt, num apud illos modestia & mansuetudo adhibenda? ne dixeris. Qvis Christo mansuetior? (o) at quis in objurgandis, & refutandis Pharisæis, scribis, Pontificibus, & Sadducæis acerbior (p)? Qvis Paulo lenior (q)? at quis eodem in refellendis hæreticis & seductoribus nec non seductis severior (r)? Atqve hanc in redarguendo severitatem Tito aliisque ecclesiæ ministris præscribit (s): ἔλεγχε αὐτὸς ἀποτόμως, argue illos dure & severe, perinde ut dure cum ægroto chirurgus agit, membrum corruptam & insanabile refecans. Adeoque utendum est lenitate & severitate. Illa apud dociles, seductos, & emendandi spem facientes, hæc apud indociles, seductores, præfractos & obstinatos, qui licet meliora videant, pejora tamen sequuntur. Non ignota hæc erunt Senecæ (t). *Corrigendus est qui peccat, & admonitione & vi, & molliter & asperè.*
Cum

(o) *Matth. 11, 29.* (p) vide in primis *Matth. 23. & Cap. 22.* (q) *1. Thess. 2, 7.* (r) *2. Cor. 10. 11. Phil. 3. Gal. 3, 4. &c.* (s) *Tit. 1, 13.* (t) *de Ira l. 1. c. 4.*

Cum improbi sunt, inquit OECUMENIUS (u) mordacius eos increpa, huiusmodi enim lenitate ac mansuetudine nunquam persuaderetur.

§. 6. Neque ad hanc modestiam & mansuetudinem pertinet silentium ad perverse tradita tantaque fiducia propalata. Imperat certe Apostolus redargutionem, refutationem, non silentium. Non caret periculo, recte ait CTRILLUS ALEXANDRINUS (w), si tacuerimus, cum enim Christus male audiat, quomodo nos tacebimus? cum Paulus dicat aut scribat: siquidem volens hoc facio, mercedem habeo, si vero invitus, dispensatio mihi concredita est. Itaque quibus verbi dispensatio & fidei custodia concredita est, quid in die iudicii dicemus, si quando ad ista tacuerimus? Hinc non male describit B. LUTHERUS pium Doctorem, quod nempe sit vir rixarum (x). Quicquid hic stultus & immodestus mundus vitio vertit piis doctoribus, gloriae illis cedit apud DEUM & pios. Divinum sacerdotem asseverante CTRILLO ALEXANDRINO (y) omni laude dignum reddit cum apud DEUM, tum apud homines, si non patiatur quemquam contra Divinam nugari gloriam, sed omnino tales pro summis hostibus ducere studeat.

B 2

§. 7. Et

- (u) Comment. in Epist. Paul. T. II. pag. 469. (w) Epist. 18. ad Celest. Episcop. Roman. Op. T. IV. p. 44 (x) Commentar. in Genes. T. I. p. 109. (y) Apolog. ad Imperat. Theodos. T. IV. pag. 122.

§. 7. Et certe cum Chiliaſta adeo modeſtiam & manſuetudinem prædicent, & ab adverſariis ſuis deſiderent optentqve, mirum omnino eſt, quod ipſimet illius nullam plane rationem habeant. In illos profecto ſunt dicta illa BERNHARDI (z): *Sunt quidam mites (modeſti) ſed quamdiu nihil dicitur vel agitur niſi pro eorum arbitrio, patebit autem, quam longe à vera manſuetudine ſint, ſi levis oriatur occaſio.* Patet, patet hoc inquam ſatis ex illorum ſcriptis, tantis calumniis convitiisqve repletis & ubiqve maculatis, ut igni & carnificis manu quam lectu honeſtorum & piorum digniora ſint.

§. 8. At quid tandem, dicent nonnulli, de decantata illa Hieronymi modeſtia & manſuetudine? verane & certone fundata eſt? & quodnam tandem exinde oritur emolumentum, ſi Chiliaſta eorumqve aſſectæ cauſſa cadunt, ac locum pro lubitu huc uſque inflexum & contortum defendere nequeunt?

§. 9. Modeſtiam & manſuetudinem Hieronymo non abjudicamus, quod autem in dicto & vexatiſſimo loco illa appareat, & Chiliaſtarum fabulam damnare non audeat, falſum omnino eſt, ceu infra ſatis clare conſtabit. Quadrant enim huc illa incerti auctoris (a): *Hieronymus modo humilibus ſuaviter blanditur.* En modeſtum

(z) de Adventu Domini Serm. III. Oper. T. I. p. 14.

(a) de Vita Hieronymi Oper. T. IV. p. 259.

deftum & mansuetudinem, modo superborum colla
confringit, en feueritatem, modo derogatoribus suis
vicem necessaria mordacitate restituens.

§. 10. Emolumentum ex vera loci expo-
sitione debitisque vindiciis resultans non exigu-
um, sed satis magnum est. I.) Quis ignorat,
quantopere Chiliaftæ consensum primitivæ Ec-
clesiæ omniumque ferme Patrum crepent, &
jactitent? Impudenti & ferrea fronte omnes fer-
me Patres in erroris sui consortium pertrahere
studuit PETERSENIUS (b); in tantas autem reda-
ctus angustias, ut ne hiscere, neq; mutire ausus
fit (c). Unicus autem ipsi deesse videbatur Hie-
ronymus, qui ipsomet fatente (d) omni conamine
se huic dogmati, aut potius errori, opposuit.
Quodsi autem ille inconstans, & quasi vertum-
nus quidam, Chiliaftas damnare non ausus est,
nonne de universali ferme consensu gloriabun-
tur, cristas erigent, majores nostros & nos ac-
cusabunt immodestix, imprudentix, ne quid ma-
gis dicam, impietatis, quod resisterint & resista-
mus sententiæ à Patribus traditæ & adeo inno-
centi, ut ab illo, qui omni conamine se ei opposu-
it, damnari non potuerit? Vera itaque expositio
loci una cum vindiciis jactatum consensum de-
struit, confirmatque & majores nostros & nos
officiis functos esse, quod illas fabulas damna-

B 3

veri-

(b) *Nubes Test. Veritatis de Regno Christi glorioso*
F. E. 1696. (c) *Desperat. Chiliafism. Cauff.*
Magdeb. 1697. (d) *Nub. Test. l. 2. p. 147.*

verimus, quas Patres damnarunt. 2.) Subscribimus & juramento nos obstringimus, libros symbolicos & in rebus ipsis & in vocibus nos secuturos esse. Ex hisce autem Augustana Confessio Artic. XVII. expresse Chiliasmum rejicit damnatque. *Damnamus & alios (præter Anabaptistas recensitos) qui nunc spargunt judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sint ubiq; oppressis impiis.* Quam rejectionem & condemnationem ipsemet Peterfenius negare non potest (e). Cum autem Hieronymus, at quantum vir! ab hac damnatione abstinerit, qua quæso conscientia nos hodie illi subscribere, aut juramento obstringi potuerimus, ea docere & loqui, quæ pia antiquitas averfata est? Hic itaque vera expositio & vindiciæ certam reddunt conscientiam, quod profecto magnum quid asseverante apostolo (f), ut ductum primitivæ ecclesiæ sequamur & ab illa damnata damnemus. 3.) Millenariorum sententiæ non obex ponendus, sed potius inoffenso pede propaganda esset, cum velut fidei non obstans ab ecclesiasticis viris non sit rejecta. Evicto autem demonstratoque hanc sententiam ab Hieronymo rejectam & damnatam esse, tranquilliori conscientia & majori conamine illi obviam ire, eamque refutare possumus.

CA-

(e) *Ausbreitung* p. 78. (f) *Hebr. 13, 8.*

CAPUT II.

De

NOSTRATIUM RESPONSIONIBUS
AD HUNC LOCUM.

- §. 1. *Quidam auctoritatem Hieronymi simpliciter re-
jiciunt.*
- §. 2. *Fundamentum hujus responsionis.*
- §. 3. *Censura & judicium.*
- §. 4. *Gerhardus aliig. tribuunt hæc verba metui.*
- §. 5. *Fundamentum hujus responsi.*
- §. 6. *Ejusdem censura & judicium.*
- §. 7. *Responsio ad locum quendam Hieronymi ob-
jectum.*
- §. 8. *Responsio ad alium locum objectum.*
- §. 9. *Pfeifferi Responsio.*
- §. 10. *Fundamentum illius.*
- §. 11. *Ejusdem censura & judicium.*

§. I.

Momentum expositi & vindicati hujus
loci summos ecclesie nostræ doctores
non latuit, adeoque in illo defenden-
do operam dederunt. Nonnulli qui-
dem, cum elabendi rimas concinnamque expo-
sitionem non cernerent, locum hunc simpli-
citer rejecerunt, eo quod auctoritatem Hiero-
nymi hac in re non attendant, & scripturam sa-
cram scriptis humanis præferant.

B 4

§. 2. Fun-

§. 2 Fundamentum hujus responsionis ipsemet Hieronymus exstruere & suppeditare videtur ajens (a): *De me, ubicunque scripturas non interpretor, sed libere de meo sensu loquor, arguat me quilibet.* Et alibi de aliis dicit (b): *Quamvis sit aliquis sanctus post Apostolos, quamvis disertus sit, non habeat auctoritatem, quoniam Dominus narrat in scripturis populorum & principum qui fuerunt in illa.* Cum itaque Hieronymus hoc in loco libere de sensu suo loquatur, & ut à quolibet libere arguatur, diserte affirmet, nemini quoque præter Prophetas & Apostolos auctoritatem concedat, menti & desiderio Hieronymi non melius se satisfacturos esse putant, quam si auctoritatem ejus libere rejiciant.

§. 3. Quamquam autem illa rejectio non simpliciter improbanda sit, nodum tamen non solvit. Manet enim, Hieronymo Chiliastarum sententiam adeo innocentem visam esse, ut damnare illam nec voluerit nec potuerit. Contumax quoque adversarius hac responsione vix contentus erit, & ut ad rem ipsam respondeatur, urgebit. Eadem denique facilitate omnia ferme Patrum dicta & testimonia rejici possent, quæ nobis adversariisque nostris obstare videntur, quæ certe ratione usus Patrum eorumque scriptorum plane exspiraret, exque venerandis & hactenus veneratis fierent depontani.

§. 4 Alii

(a) *Apolog. adv. Jovianum Op. T. II. p. 76.* (b) *Isr Psalm. LXXXVII. Op. T. VIII. p. 103.*

§. 4. Alii confugiunt ad metum, & ex illo verba hæc Hieronymi prognata esse contendunt. Hanc sententiam suam facit B. GERHARDUS (c). Chiliasiarum opinioni minime quidem assensus est, interim non ausus fuit eam expressis verbis damnare, veterum scilicet auctoritatem nimio opere veritus: sic enim scribit l. 4. in Jerem. C. 19. *Judæi sibi &c.* Propugnat eandem LOBECHIVS (d). Idem Hieronymus in Expl. C. XIX. Jerem. ad finem ait, se non audere damnare, quod multi ecclesiasticorum virorum & martyrum hoc dixerint, adeo tribuebat multum vetustati. Sed metui opponenda est certitudo veritatis. Horum vestigia legit PETERSENIUS (e) affirmans; se hoc judicium Hieronymi ex pusillanimitate & metu hominum ortum rejicere.

§. 5. Patrocinari huic sententiæ videntur ipsa Hieronymi verba, quibus testatur, se jam præfaga cernere mente, quantum in se rabies concitanda sit, si Apocalypsin spiritualiter interpretetur, & multorum veterum opinionibus contraeat. Ita enim ait (f): *Non ignoro quanta inter homines sit sententiarum diversitas. Non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta Confessio est ignoratio scientiæ, sed de aliis ecclesiasticis dogmatibus, de resurrectione scilicet & de animarum & humanæ carnis statu,*

B 5

de

(c) Loc. Theol. T. IX. p. 451. (d) Disputat. XIX. in A. Confess. §. 97. (e) Nub. Test. Lib. II. pag. 147. (f) Comment. in Esa. l. XVIII. Proöm. Op. T. V. p. 203. seq.

de repromissionibus futurorum, quomodo debeant accipi, & qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Jobannis, quam si juxta literam accipimus, judaizandum est, si spiritualiter, ut scripta est, differimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire, Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii, Græcorum, ut ceteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunensis Episcopi faciam mentionem, adversum quem vir eloquentissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex elegantem scribit librum irridens mille annorum fabulam & auream atq; gemmatam in terris Hierusalem: Insaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium Sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium servitutem: Rursusq; bella, exercitus, ac triumphos & superatorum neces, mortemq; centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius, quem non solum sæcæ homines, sed & nostrorum in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo, ut præsaga mente jam cernam, quantum in merabiles concitanda sit. Et interpositis nonnullis inquit: Hæc magnopere præcavimus, & pressius loquimur, scientes inter serpentes nobis & scorpiones ambulandum, qui mordent & feriunt in abscondito. In hisce haud obscure metum indicare videtur Hieronymus, quo à rejectione & condemnatione millennii fabulæ retrahitur.

§. 6. Atque hæc à summis Ecclesiæ nostræ Doctoribus data responsio est communissima, sed æque ut antecedens insufficientis. Sive enim à metu, sive ab alio quodam affectu & animi per-

perturbatione hæc orta sint verba, manet tamen adhuc, Hieronymum non ausum esse Chiliaf-mum damnare, eumque hodie male damnari. Adhæc responsio de metu contraria plane est & ingenio & factis ipsis Hieronymi. CAVEO (g) Hieronymus erat *ingenii præservide*, cui accinnit DUPINIUS (h): *à l'égard de son genie, il étoit chaud & vehement.* Et loquente ERASMO ROTERODAMO, (i) ipsa clamitant scripta, Hieronymo vehemens & ardens fuisse ingenium. Quid quod asseverante CHEMNITIO (k), *illius acerbitas & vehementia hyperbolica etiam sui temporis hominibus displicuit, sed noluerunt illam irritare.* Huiusmodi certe ingenium, quale modo dicti auctores Hieronymo tribuunt, vano metu non percellitur, ut odiis & criminationibus aliorum motum & deterritum vera profiteri, falsa rejicere & damnare non audeat, potius ridet adversariorum insultus & instar generosi equi rabidorum canum latratus contemnit. En hic ingenium Hieronymi ipsiusmet verbis descriptum (l). *Transimus ad nonnum volumen, non absq; morsu & obtrektionibus invidorum, qui ignorantes quid audiant, quid loquantur, de eo audenti iudicare, quod nesciunt, & ante despiciunt quam-*

- (g) *Hist. Literar. L. C. p. 154.* (h) *Nouvelle Bibliothèque des auteurs Ecclesiastiq. T. III. p. 143.* (i) *In Vita Hieronymi Oper. præmissa. lit. C. C.* (k) *Orat. de Lectione PP. p. 5.* (l) *Comment. in Esa. L. LX. Proëm. Op. T. V. f. 99.*

quamvis probent, eruditosque se existimant & disertos, si de cunctis scriptoribus detrahant. Quorum livorem & inusitationem garrulam contemnent DEI poscimus auxilium & psalmista imprecatione dicamus: Dissipantes, quæ bella volunt. Contraria quoque est factis Hieronymi. Ipsemet enim testatur (m): Hæreticis se nunquam pepercisse, & omni studio egisse, ut ecclesie hostes suos quoque faceret. Comprobant hoc testimonium varia illa certamina cum hæreticis habita, & à MAGDEBURGENSIBUS ordine & fideliter recensita (n), inter quæ illud cum Origenistis eminet, quod ipsi invidiam, odium & execrationem multorum & inprimis Ruffini, amicitissimi antea, concitavit. Quæritur subinde de hisce aliisque suis adversariis & calumniatoribus affirmatque (o), rem sibi esse cum malevolis & obrectatoribus, qui ne quidem fugientem persequi desinant, & quod ne latens & remotus ab urbibus, à foro, libris & turba quiescere possit. Præter hæc non pepercit Clericis, sed libere & intrepide illorum vitam & crimina insectatus est, ita ut Sulpitius Severus recte dicat (p): Concivit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit. Oderunt eum Clerici, quia vitam eorum insectatur & crimina. Profecto qui se in hisce acerrimis certami-

-
- (m) Lib. I. advers. Pelagian. Proœm. Op. T. II. pag. 176. (n) Centur. IV. C. X. p. 1251. (o) In Vita Malchi Op. T. I. p. 166. f. & alibi passim. (p) Dialog. I. de Virtut. Monach.

minibus, & quod præprimis notandum, in controversiis cum Origenistis, quorum ingens multitudo & magna erat auctoritas, nec non in redarguendis Clericis virum fortem & athletam exhibuit, is Chiliastarum rabiem non pertimuerit. Obstat denique huic responsioni accuratum MAGDEBURGENSIUM iudicium, illum judæorum somnium de regno Christi delicioso in terris per mille annos confutare, & contra omnes eorum depravationes, fabulas & vanas spes sæpissime disputare, maxime in enarrationibus Prophetarum (q): Nec non HENRICI GRAVIS (r), qui itidem affirmat, Hieronymum adversus judaicam mille annorum fabulam in Commentariis fortissime pugnare. Quæ confutationes & disputationes cum metu consistere nequeunt.

§. 7. Ad locum autem Hieronymi citatum quod attinet, videtur is primo intuitu pusillanimitatem & metum ostendere, recte autem & integer inspectus clarum & perspicuum reddit, Hieronymum rabiem Chiliastarum nihili duxisse. Ita enim statim addit: *Quibus non invidéo, si tantum amant terram, ut in regno Christi terrena desiderent, & post ciborum abundantiam, gulæq; ac ventris ingluviem, ea quæ sub ventre sunt quarant. De quibus Apostolus Paulus: Esca, inquit, ventri, & venter escis. DEUS autem hunc & illa destruet. Et: Non est Regnum*

(q) Centur. IV. cap. X. p. 1251. (r) Not. in libr. de Viris Illustr. Op. T. X. pag. 278.

Regnum DEI cibus & potus. Et Dominus atq; Saluator: Erratis, inquit, nescientes scripturas neq; virtutem DEI. In resurrectione enim neq; nubent neq; nubentur, sed erunt similes Angelorum. Nec hæc dicens aufero corporum veritatem, quæ incorrupta & immortalia resurrectione confiteor, ut mutent gloriam, non substantiam. Sicq; recto incedendum est tramite, ut nec ad sinistram nec ad dextram declinemus, id est, nec judaicum nec hæreticum sequamur errorem. En! quisnam hic metus? quæ pusillanimitas? Chiliaſtas, quorum rabiem metuere se professus erat, statim aggreditur, eorumq; sententiam judaicum errorem minime sequendum dicitat. Nonne in hoc ipso loco, qui pro defendendo metu adducitur, summa & inusitata elucet parrhesia & animi præsentia, quæ sententiam illorum, quos metuere debebat, rejicit & damnat?

§. 8. Quod autem addat: Hæc magnopere præcavimus, & pressius loquimur, scientes inter serpentes nobis & scorpiones ambulandum, qui mordent & feriunt in abscondito; Si Chiliaſtæ hæc in se dicta esse volunt, hoc elogio se ornant, quod sint serpentes & scorpiones in abscondito mordentes & ferientes, quam naturam forsan apud se inveniunt, seque ad vivum delineant. Re autem ipsa non tantum milliarios, sed etiam hæreticos seu Origenistas tangit & respicit, de quibus æque ac de Chiliaſtis egit, dicens se neque judaicum neque hæreticum errorem sequi. Hosce ergo ut prolixè refutet, magnopere præcavet, & pressius

fius loqui vult, ut, qui Ecclesiasticam explanationem dare sibi proposuerat, ad scopum præfixum pertingat, nec rixis illorum ab eadem abstrahatur.

§. 9. B. PFEIFFERUS alium adhuc ingreditur viam, qua Hieronymum vindicare putat (s): **Dasß man den Hu. Chiliaften ins Maul sehe / und das grosse Wort allein lasse / sie dadurch in ihrer Thorheit verstärcke / und ihnen Freyheit verstatte / arme / einfältige Leute aufs Narren Seil zu führen / daß wird rechtschaffenen Theologis wohl nicht anstehen / die vielmehr hiebey dem Rath Salomonis folgen / welcher spricht: Antworte dem Narren nach seiner Nartheit / damit er sich nicht weisse lasse düncken. Proverb. 26, 5. Dem Hieronymo hält man seine Gelindigkeit zu gute / weil zu seiner Zeit die Sache noch nicht so erläutert / und der Chiliaften Thorheit ans Tages Licht geleyget war.**

§. 10. Responsionis hujus fundamentum suppeditavit B. DANNHAUERUS (t) *Scire debebat nevos condonari Cypriano, non itidem Donatistis, multa indulgeri controversiarum initiis adhuc luctantibus, quæ non indulgentur roboratis, multa præcipitatis in fervore disputandi, quæ non perinde condonantur meditatione doctioribus, multa dogmatibus particularibus, quæ non condonantur conspiratione plurimorum coagularis. Æquitatem porro hoc responsum præsuppone-*

(s) *Ante-Chiliasm.* (t) *Hodomor. Calvin. Phantasm. IV. p. 964.*

nere videtur. Cum enim millennii fabula tempore Hieronymi non ita, ceu hodie, excussa sit, iudicium & condemnationem sententiæ nondum satis examinatæ prudentius suspendit, quam intempestive protulit.

§. II. Verum & hac ratione Chiliastæ clamabunt, loco Hieronymi suisque objectionibus nondum satisfactum esse. Negant enim sententiam de millennio debite examinatam, & erroris convictam esse, conqveruntur potius, quod orthodoxi examen illius non permittant, sed simpliciter rejiciant.

CAPUT III.

De

LOCI EXPOSITIONE ET VINDICIIS.

- §. 1. *In loci enodatione necessaria est collatio & expositio.*
- §. 2. *Collatio ostendit Hieronymum Chiliastarum errorem notare & rejicere.*
- §. 3. *Hæc rejectio nil aliud quam damnatio.*
- §. 4. *Loca in quibus Hieronymus Chiliastas damnat.*
- §. 5. *Ad hæc præsens locus normandus.*
- §. 6. *Damnare hic idem ac refutare & destruere.*
- §. 7. *Stylus patristicus à stylo classicorum auctorum distinctus,*
- §. 8. *Probe observandus.*
- §. 9. *Optima interpretandi ratio ex auctore ipso.*
- §. 10. *Lo-*

- §. 10. *Loca in quibus damnare idem ac refutare, destruere.*
- §. 11. *Vera hujus loci expositio.*
- §. 12. *Nititur locis clarioribus parallelis.*
- §. 13. *Convenit scopo Hieronymi.*
- §. 14. *rationi ab ipso addita,*
- §. 15. *scribendi generi.*
- §. 16. *perpetuae ferme praxi.*
- §. 17. *Objectio Hieronymum Chiliaftas refutare.*
- §. 18. *Responsio.*
- §. 19. *Locus, in qua Hieronymus Chiliaftas refutat, & responsio.*
- §. 20. *Alius locus objectus & responsio.*

§. I.

HI itaque sunt præcipui modi, quibus nostrates Hieronymum excusare & defendere volunt; quam feliciter, judicent alii. Felicius illum vindicari posse existimamus, si vexatissimus & à Chiliaftis objectus locus cum clarioribus rite recteq; confertur, & dilucide exponitur. Huc usque enim recensiti modi personam tantum defendere aut excusare volunt, locum ipsum non tangunt; animum perpendunt, & verba, animi indicia, negligunt. Quare si solide Hieronymum vindicare cupis, collatione hujus loci cum aliis, ceu in omni interpretatione, & ejusdem tandem expositione opus est.

C

§. 2. Col-

§. 2. Collatio certum evictumq; reddit.
I.) Hieronymum posthabitâ Chiliastrarum rabie & veterum ecclesiasticorum virorum auctoritate (a) illorum errorem & falsas interpretatione-

(a) Qvam parvi & ferme nihili auctoritatem virorum ecclesiasticorum & adversariorum rabiem ducat Hieronymus, ipso meridiano sole clarius ostendit *Epist. ad Miner. & Alexand. T. III. Op. p. m. 128.* *Nec juxta Pythagoræ discipulos præjudicata Doctoris opinio, sed Doctrina ratio ponderanda est. Si quis autem contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud apostoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum est, tenete. &c. Etenim si dialecticam scire voluero, aut philosophorum dogmata & ut ad nostram redeam, scientiarum scripturarum, nequaquam simplicis ecclesie viros interrogare debeo, quorum alia gratia est, & unusquisque in suo sensu abundat, præsertim cum in domo magna patris familie vasorum diversitas multa dicatur, sed eos, qui artem didicere ab artifice & in lege Domini meditantur die ac nocte. Ego & in adolescentia, & in extrema etate profiteor & Origenem & Eusebium Casariensem esse doctissimos, sed errasse in dogmatum veritate. &c. Cur me lacerant amici mei? & adversum silentem crasse sues grunniunt? Quare omne studium est,*

tationes notare & rejicere. In hujus rei testi-
monium & fidem nonnulla adducenda sunt loca,
quæ accuratius pensitare veritatis amans lector
non gravabitur. Verba Esa. XIX. in die illa erit
via de Ægypto in Assyrios explanaturus ait (b):

Quidam nostrorum male hæc ad mille annos referunt,
& more judaico in consummatione mundi futura pro-
nunciant, quando Anti-Christus de Assyriis veniens Æ-
gyptum Æthiopiãq; possederit (c). Hæc civitas cum
destrueta fuerit, in æternum non edificabitur, ut mille
annorum regnum & aureæ Hierusalem atq; gemmã-
te somnia conq;iescant (d). Esa. LIV. Quia ut
mulierem derelictam &c. Hic amici judeorum
vilificant mulierem derelictam & uxorem ab adolescen-
tia abjectam, quam ad punctum & modicum dereliquit
Dominus, Hierusalem esse dicentes &c. (e) Respon-
deant amatores tantum occidentis literæ, & in mille
annis exquisitos cibos gula ac luxuriæ præparantes, quo-
rum DELLUS venter est, & gloria in confusione eorum,
qui post secundum in gloria Salvatoris adventum spe-
rant nuptias, & parvulos eentum annorum &c. &c.
quæ sit ista cælestis Hierusalem (f)? Ergo non juxta

C 2

XIIII

est, imo scientiæ supercilium, aliena carpere, &
sic veterum defendere perfidiam, ut perdant fidem
suam. Meum propositum est, antiquos legere,
probare singula, retinere quæ bona sunt, & à fide
ecclesiæ Catholicæ non recedere.

(b) Comment. L. V. in Esaiam. Oper. T. V. pag. 56.

(c) Lib. VIII. p. 91. (d) Lib. XV. pag. 168.

(e) Ibid. p. 169. (f) Ibid. p. 172.

Χιλιασὰς opum abundantiam, & delicatos cibos, & crassitudinem corporis, phasidesque & fartos turtures, mulsum, merum, uxorum pulchritudinem, examina liberorum Dominus anima pollicetur, sed illas delicias, ad quas nos mystice provocat dicens: Delectare sive deliciis frueri in Domino &c. (g). Explosa millennii fabula inquit. Recto incedendum est tramite, ut nec ad sinistram, nec ad dextram declinemus, id est nec Judaicum nec haeticum sequamur errorem. Quorum alii qui carnis sunt, solas diligunt carnes, alii ingrati beneficiorum DEI habere detrectant, quod Christus & natus habuit & resurgens (h). Judaei & Judaici erroris haeredes Hebionita, qui pro humilitate sensus nomen pauperum susceperunt: NB. omnesq; mille annorum delicias praestolantes, equos & quadrigas & rbedas & lecticas sive basternas & dormitoria, mulosq; & mulas, & carrucas diversigenis vehicula sic intelligunt, ut scripta sunt, Quod videlicet in consummatione mundi, quando Christus Hierusalem regnaturus advenit, & templum fuerit instauratum, & immolatae judaicae victimae, de toto orbe reducuntur filii Israel nequaquam assumptis aliis. &c. &c. (i) Qui mille annorum in terra Judaea regnum Christi recipiunt, Judaei videlicet & nostri judaizantes, conantur ostendere, turrim Hananeel & portam anguli, & collem Gareb, & Goatha & vallem Phalarim, & omnem Assademoth, & torrentem Cedron, & locum anguli portae equorum orient-

(g) Lib. XVIII. Proem. p. 204. (h) Ibid. p. 217.

(i) Comment. in Jeremiam L. VI. T. V. p. 288.

orientalis & ibi dicunt sanctuarium Domini, i. e. templum, esse condendum & mansurum in perpetuum. &c. &c. (k) Quodsi Judæi & Christiani judaizantes hac ad mille annorum voluerint referre regnum, necessitate coguntur, ut suscipiant omnes, qui salvi fuerint, habituros in terra Israel, edificandam Hierusalem, extruendum templum &c. &c. (l) Hæc concisio & nostri judaizantes ad mille annorum regnum referunt. &c. (m) Hæc judæi, & nostri, ut diximus, judaizantes ad mille annorum fabulam referunt, quando putant, Christum habiturum in Sion. &c. &c. (n) Sciendum quoq; hoc capitulum, quod nunc exposuimus, & huic simile de Esaia judeos & eorum erroris heredes ad mille annorum referre imperium Christi, atq; Sanctorum (o). Hæc quoq; Judæi cassâ spe in mille annorum regno futura promittunt, cujus solennitatis istud exordium est. Egressus populus Israel &c. &c. (p) Hæc Judæi juxta literam somniant, & nostri $\chi\rho\nu\sigma\tau\alpha\iota$, qui rursus audire desiderant: Crescite & multiplicamini. &c. De quibus vere potest Dominus dicere: Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt. &c. Multa alia loca silentio prætermittimus.

C 3

§. 3. Ex

(k) Comment. in Ezech. Lib. XI. Op. T. V. p. 437.

(l) Comment. in Oseam L. I. Oper. T. VI. p. 10.

(m) Comment. in Joel. Op. T. VI. pag. 56. (n)

Comment. in Mich. L. I. Op. T. VI. pag. 119. (o)

Comment. in Zachar. L. III. Op. T. VI. pag. 229.

(p) *ibid.* p. 228.

§. 3. Ex hisce certe liquido constat Hieronymum quavis ferme oblata occasione Chiliaftas vellicare, eorum errorem notare, & rejicere. Quis ergo sanæ mentis vel sub veri cuiusdam specie affirmare posset, Hieronymum auctoritate ecclesiasticorum virorum, & rabie Chiliaftarum deterritum, aut metu percussum damnare non esse ausum. Quodsi hos extimiffet, non notasset nec sententiam eorum rejiciffet, sed cum illos una cum sententiis notat & rejicit, eo ipso quoque damnat.

§. 4. Ostendit II. diligens locorum collatio, Hieronymum revera millennii fabulam & Chiliaftarum somnia damnasse. Præcipua & clariora tantum afferemus loca: (q) *Ex quo discimus, mille annorum fabulam, in qua rursus nuptiæ promittuntur, & cibi & terrena vitæ conversatio, abjiciendam (r). Vocat sententiam Chiliaftarum Judaica deliramenta non sectanda, (s) errorem judaicum non sequendum: qui illorum errorem sequitur, sub nomine Christiano judæorum se similem confitetur (*)*. Excludit eosdem à cœtu orthodoxorum (t). *Hæc omnia quæ nos celeri sermone perstringimus judæi & judaizantes nostri NB. imo non nostri, quia judaizantes,*

(q) *Comment. in Esaiam L. XVI. Op. T. V. pag. 188.*
 (r) *Ibid. p. 170.* (s) *Proœm. L. VIII. in Esaiam T. V. p. 204.* (*) *In Esaiam L. XVII. Op. T. V. p. 191.* (t) *Comment. in Zachar. L. III. Op. T. VI. p. 230.*

tes, sperant futura corporaliter. Aperte hanc sententiam rejicit (u): Cesset ergo mille annorum fabula. Graphice quoque illos delineat: (w) *Judei cassa in futurum vota differunt, post Anti-Christum in mille annis hæc explenda memorantes. Nec mirum si ista confingant, qui sprete veritate Christi organum diaboli Anti-Christum recepturi sunt, cum etiam Christiani Judaizantes de mille annorum beatitudine hæc dicta contendunt (x).* Qui Anti-Christi præstolantur adventum, nec possunt dicere, à timore tuo Domine concepimus, & parturivimus, & peperimus, spiritum salutis tua fecimus super terram, recte concipiunt dolorem, & parturiunt iniquitatem, ut, quem multo labore perquirunt, in iniquitate suscipiant, de quorum scriptum est patre: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Isti frangunt & disrumpunt ova aspidum, ut eorum venena in sua mente suscipiant, quibus in Evangelio dicitur: *Serpentes genimina viperarum* Matth. 23, 23. Pulchre posuit ova aspidum atq; serpentum, quæ ova prius generare dicuntur. Et quia non solum malitiæ venena in cordibus suis retinent, sed in lege DOMINI die ac nocte meditantur, aniles fabulas mussitantes, propterea dicitur: *Et telas araneæ texunt, quibus muscas & culices & parva capiunt animantia, ad quas cum forte quid venerit, quasi per aërem vacuum transvolat. Qui comederit, inquit, de*

C 4

ovis

- (u) Comment. in Daniel. Op. T. V. pag. 497. (w)
 Comment. in Esaiam. L. V. Op. T. V. p. 62. (x)
 Commentar. Esa. L. XVI. Oper. T. V. p. 187.

ovis eorum, morietur, hoc est, qui consiliis eorum acquieverit, quomodo Abel acquievit Cain, dicenti transeamus in campum Genes. 4. v. 8. statim interficietur. Sive ut LXX. transtulerunt, qui voluerit de ovis eorum comedere, conterens inveniet putridum & in ipso regulum; Sive juxta Symmachum & Theodotionem aspidem. Aquila autem viperam posuit, pro qua in hebraeo **יָדֵן**. Qui igitur audiens traditiones judaicas, ad escas se mille axnorum voluerit preparare, & repromissionum deliciis irretitus manum ad ovum extendere; Si antequam comedat, hoc est verbis mortiferis acquiescat, voluerit prius considerare quod dicitur, & singulos sermones discutere, eorumq; tractare rationem, statim in ipsis reperiet Anti-Christum preparari. Ergo juxta Hebraicum, qui comederit de ovis eorum morietur, qui autem juxta LXX. frangere ante voluerit, & diligentius intueri ac videre, quid latitet, reperiet fetorem teterrimum & principem omnium serpentum diabolum in eorum latitare traditionibus.

§. 5. Mentis certe vix compos, & sine sensu & ratione profecto esset, qui adhuc negare vellet, Hieronymum sententiam Chiliastarum rejicere & damnare? Quam graphice illos delineat in ultimo loco, quam foede describit eosdem; ut nullus hæreticus vix expressius notari possit. Quodsi autem in vera & legitima interpretatione cujusvis scriptoris unus obscurus locus secundum alia clara loca normandus & men-

mensurandus est, quid obstaret? quo minus hunc locum, in quo Hieronymus obscure innuit se Chiliastarum sententiam non audere damnare, cum aliis clarioribus locis conferamus, eum secundum illos interpremur, & constanter affirmemus millenariorum fabulam ab Hieronymo rejectam omnino & damnatam esse. Hanc enim suam mentem, & ante & post quam in Jeremiam commentarium scripsit, clare & constanter exponit.

§. 6. Ipsum quoque vexatissimum locum recte inspecturus vel manibus palpabit, illum ante citatis aliisque claris locis Chiliastrum reijicientibus non contrariari. Nam quæso quid hic est damnare? Cum Hieronymus affirmet, se non audere sententiam judizantium damnare? In hoc certe cardo rei versatur, & si illius verbi veram atque genuinam significationem indagavimus, facili negotio & commode locus vexatissimus exponetur. Redderem hoc loco $\tau\delta$ damnare, per refutare, refellere, destruere, ita ut mens Hieronymi sit, se non audere sententiam Chiliastarum, seu judaizantium refutare & destruere.

§. 7. Quod si verbum damnare apud classicos & profanos auctores in hac significatione non occurrat, meminerint hic candidi rerum æstimatores, stylum patristicum à stylo classicorum aucturum probe esse discernendum,

C 5

ipsaq;

ipsaq; verba & vocabula mutationum & variationum vices subiisse, ita ut amissa veteri significatione novam nacta sint, ceu recte observat notatqve in antiquitate versatissimus DALLÆUS. (y)

§. 8. Atqve hæc verborum & vocabulorum mutata & innovata acceptio, scripta Patrum obscura reddit, & propriam atqve genuinam illorum mentem tegit, eorumq; ignorantia aut minus sollicita observatio monente MOLLERO (z) innocentissimis Patribus facile heterodoxia labem, aut incommodæ locutionis vitium tribuit; adeoqve ipso iudice magna prævia cautione opus est. Siquidem voces mentis sunt interpretes. Quodsi autem illæ alio accipiuntur sensu, quam auctor adhibuit, non potest non alia & plane contraria mens tribui.

§. 9. Optima autem interpretandi ratio est, auctorem ex auctore exponere, cum quilibet optimus verborum suorum sit interpret. Eundemq; exponendi modum & hic observabimus, & Hieronymum ex Hieronymo interpretabimur. Demonstrato itaqve damnandi verbum alibi ab illo in significato usurpari, quo idem ac refutare, refellere, destruere, nulla dari potest ratio, quare non hoc in loco ita accipi & possit & debeat.

§. 10. Oc-

(y) *De verborum PP. P. I. C. V. p. 120. § 148.* (z) *Philolog. Pent. p. 12.*

§. 10. Occurrit ergo damnandi significatio in hoc sensu, cum ait (a): *Alii terrenum sensum relinquentes, & judaicas atq; aniles fabulas, quæ noxiæ sunt, & acquiescentes sibi detrahunt in profundum, nimium ad alta conscendunt & multo peiores fingunt nenas, ut in cœlesti Hierusalem diaboli & omnis exercitus ejus bella describant, & sub τωπολογίας gentium singularum interpretantur spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Quæ nos omnia lectoris arbitrio concedentes non tam aliena damnare, quam ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur. Locus hic vexatissimo quam maxime parallelus. In utroque enim de millennii fabula agit, negat in utroque se eam damnare. At expones quæso in hoc adducto loco damnare? Nonne recte interpretatur Hieronymum, dices idem esse ac refutare? Patet hoc certe ex opposito, quo fidem facit, se ecclesiasticam explanationem affirmaturum, aut traditurum & corroboraturum, aliena autem non refutaturum aut destructurum. Vis adhuc clariora Hieronymi verba, præsto sunt illa. (b) *Hucusq; in Ezechiel Prophetam, DEO ut optamus & credimus auxiliante & aperiente os nostrum, locuti sumus: NB. NB. non aliorum, si qui scripserunt, vel deinceps si scripturi sunt, sententiam destruentes, sed asserentes qualiacunq; sunt nostra. En clarissime hic indicat, quomodo in interpreta-**

(a) *Comment. in Ezech. L. XI. Op. T. V. pag. 438.*

(b) *In Ezech. L. XII. T. V. pag. 442.*

tione Prophetarum versatus sit, sua scilicet afferere voluit, aliena damnare seu, ut hic exponit, destruere noluit.

§. II. Vera ergo mentique Hieronymi conveniens expositio vexatissimi loci hæc esset: *Quamquam sibi judæi auream atq; gemmatam Hierusalem restituendam putent, rursusque victimas, & sacrificia, & conjugia sanctorum & regnum in terris Domini Salvatoris, quæ licet non sequamur refutare aut destruere non possumus, quia multi Ecclesiasticorum virorum & martyres ista dixerunt.*

§. 12. Præona facilisque hæc expositio nititur, ceu vidimus, clarioribus locis parallelis, in quibus damnandi verbum Hieronymo idem est ac destruere. Qui hic significationem damnandi inflectere & præcise per improbare verbum damnari exponere vellet, næ gravissimas certissimasque afferre deberet rationes, quibus demonstraret, verbum hoc in alio significato accipiendum esse, quam in locis parallelis.

§. 13. Convenit quoque scopo Hieronymi, quem ipsemet manifestat. (c) *In quibus describendis quid Aphricanus temporum scriptor, quid Origenes, & Cesarientis Eusebius, Clemens quoque Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, & Apollinarius Laodicenus, Hyppolitusque, & Hebræi & Tertullianus, senserint, breviter comprehendi, Lectoris arbitrio delevinquens quid*
de

(c) *Comment. in Esa. l. XI. Proæm. Op. T. V. pag.*

170. 67

de pluribus eligeret. Itaq; quod nos verecundia fecimus judicandi, & eorum honore qui lecturi erant, quibusdam forte non placeat, qui non antiquorum opiniones, sed nostram sententiam scire desiderant, quibus facilis responsio est: NB. Noluisse me sic unum recipere, ut viderer alios condemnare. Et certe si tanti & tam eruditi viri fastidiosos lectoribus displicent, quid de me facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli invidorum moribus pateo? Sin autem supra dictos viros Magistros Ecclesie nominavi, illud intelligant, me non omnium probare fidem, qui certe inter se sunt contrarii, sed ad distinctionem Josephi Porphyrii, dixisse, qui de hac questione plurima disputarunt. Aperte hic profitetur Hieronymus, propositum suum esse in explanatione Prophetarum varias variorum expositiones & sententias proferre, eosque lectoris judicio relinquere, nullamque adeo suam facere, ut aliorum condemnet aut refutet & destruat. Licet illorum quidam, quos excerpere voluit, sint, quorum fidem non probat, nihilominus tamen a refutatione illorum abstinet eo, ut alibi loquitur, quod Ecclesiasticam explanationem dare constituit. Jam Hieronymi tempore nonnulli, quos vocat obtrectatores & calumniatores, hoc attendere noluerunt, & potius vitio vertere voluerunt, hinc brevius adhuc repetit eosque perstringit (d): *Nec intelligit nimia stertens vecordia, leges commentariorum, in quibus multa diversorum ponuntur opiniones, vel tacitis*

vel

(d) Comment. in Hieremiam Proem. Op. T. V. p. 219.

vel expressis auctorum nominibus, ut lectoris arbitrium sit, quid potissimum eligere debeat decernere, quamquam & in primo ejusdem operis libro præfatus sim, me vel propria vel aliena dicturum, & ipsos Commentarios tam veterum scriptorum esse quam nostros. Quid clarius dici potest? quam Hieronymum Commentarios suos ita adornasse, ut suam & veterum scriptorum exhiberent sententiam, lectorisque arbitrio relinqueret, quid eligere & decernere velit. Hoc itaque scopo semel præfixo jure merito dicere poterat, se non audere sententiam hanc judaizantium damnare seu refutare, aut destruere. Hac enim ratione contra præfixum scopum egisset, & commentandi præscriptas leges transilisset.

§. 14. Congruit porro hæc expositio addita ab Hieronymo rationi, qua scilicet testatur, se ideo damnare non posse sententiam judaizantium, quia multi ecclesiasticorum virorum & martyres ista dixerunt. Fac, quæso, damnare hic idem esse ac rejicere, improbare, *verdammen*? Num hæc sufficiens ratio & causa, ob quam improbare non audeat, quia multi ecclesiastici viri & martyres ista dixerunt? Nonne ab initio statim affirmavit, vocare se quidem illos, quorum sententiam adduxit, viros ecclesiæ, non autem omnium fidem probare? Vide ergo, quomodo Hieronymus in falsa expositione sibi opponatur & contrarietur. Primum intrepide confitetur, se quorundam virorum ecclesiasticorum fidem

dem seu sententiam non probare, seu damnare, & dein metu percussus affirmat se non audere ecclesiasticorum virorum sententiam damnare, nonne hæc opposita? Porro quoties Hieronymus hanc ecclesiasticorum virorum sententiam de millennio velut judaizantem & erroneam rejicit & damnat, ceu supra jam audivimus? Nonne falsa hæc expositio Hieronymum mendacem faceret, qui diceret se illam sententiam non audere damnare, quam tamen toties damnavit? Denique quid illum retraheret auctoritas ecclesiasticorum virorum ab improbatione falsarum sententiarum, qui liberum & ingenuum confessus est ingenium, quo veteres ita legere vult, ut omnia probet, & bona retineat, & à fide catholica non recedat, quique ipsos ecclesiasticos viros, Origenem puta & Tertullianum, damnavit. Verum enim vero si damnare per refutare & destruere exponitur, addita ratio optime fluit, & firmissimo fundamento nititur. Proposuerat sibi Hieronymus explanationem ecclesiasticam, seu expositionem ex virorum ecclesiasticorum scriptis tradere. Ita enim mentem suam exponit (e): *Non omnia differentes, ne multa fiant volumina, sed NB. quid ecclesiastici viri ante nos senserint breviter indicantis.* Cum itaque ecclesiastici viri hanc judaizantem sententiam de mil-

(e) *Comment. in Esaiam. l. VI. Proëm. Op. T. V. pag. 63.*

millennio dicto loco foverent, refutare illam non poterat Hieronymus, nisi fidem perdere voluisset, quæ scilicet ex viris ecclesiasticis expositionem collectam promitteret, & tamen ecclesiasticorum virorum sententias destrueret. Atque hoc est, quod alibi clarius proponit (f). *Quæ, scilicet fabulam millennii, lectoris arbitrio concedentes, NB. non tam aliena damnare, quam ecclesiasticam explanationem affirmare conabimur.*

§. 15. Apta est adhuc expositio scribendi generi. Erat hoc brevissimis varias variorum sententias exhibere. Ita enim ait (g): *Nolui libros explanationis extendere, qui etiam in simplicei explanatione modum brevitatis excedunt (h). Ne multa fiant volumina, quid Ecclesiastici viri ante nos senserint, breviter indicantes (i). Præ magnitudine rei brevem explanationem putem, quæ per se longa est.* Hujus brevitatis leges obstabant, quominus millenariorum sententiam prolixè refutare aut destruere posset. Satis clare hoc ostendit Hieronymus ajens (k): *Et quia longum nunc est, adversum dogma judaicum & beatitudinem ventri & gutturi judaico servientem, qui omnia terrena desiderant & dicunt, manducemus & bibamus, de quibus*
Apostolus

- (f) *Comment. in Ezech. l. XI. Op. T. V. pag. 438.*
 (g) *Comment. in Esaiam Proëm. Op. T. V. pag. 3.* (h) *In Esaiam l. VI. Proëm. T. V. p. 63.*
 (i) *In Esaiam l. VIII. Proëm. T. V. p. 85.* (k) *Comment. in Ezech. l. XI. Op. T. V. p. 432.*

Apostolus loquitur : Esca ventri & venter escis, DEus autem hunc & illam destruet, in brevi explanatione dicere, nunc ad spiritualem intelligentiam transeamus. Recitarat in proxime præcedentibus Hieronymus Chiliastarum sententiam falsamqve interpretationem, cum autem illa refutanda esset, abstinet ab ejusdem refutatione, addita ratione & causa, quia scilicet hoc in brevi explanatione longum foret. Dicitne hic aliud quid, quam brevitatem obstare, quominus Chiliastarum fabulam & falsam interpretationem refellere possit? Confer adhuc alium locum modo citato parallelum (1): Alii ad mille annorum regnum referunt, quando sub Christo, quem venturum esse putant, ut civitas extruatur Hierusalem, & edificetur templum, de quo in ultima parte hujus Prophetiæ dicturi sumus. Et interim ut judaicæ fabulas relinquamus, & interminabiles genealogiis, NB. juxta consuetudinem nostram breviter περιουσιῶν hujus capituli percurramus, & quid nobis videatur, juxta ecclesiasticam intelligentiam differamus. Provocat hisce verbis Hieronymus ad consuetudinem, quanam autem illa? et in quo consistit? Hæc est, judaicæ fabulas de millennio relinquere, hoc est, rejicere quidem, sed non refutare: & quare? Quia περιουσιῶν capitulum breviter tantum percurrit, & sententiam suam juxta ecclesiasticam intelligentiam exponit.

D

§. 16.

(1) l.c. pag. 433.

§. 16. Fundata est hæc expositio perpetua ferme Hieronymi praxi. Rectè enim de Commentariis Hieronymi iudicat Dupinius (m). Il rapportoit souvent les explications de differens Commentateurs sans y rien changer & sans nommer ceux, dont il les tiroit: Il y faisoit meme entrer des explications, qu' il n' approuvoit pas, quoiqu' il ne les refutat point, etant persuade qu' il suffiroit d' avoir averti le lecteur qu' il y avoit dans ses Commentaires plusieurs explications qu' il avoit copiees des autres. Liqvet hoc inprimis in capite de Chiliafmo. Adducit quidem Hieronymus Chiliafstarum sententiam, eamque, ceu supra vidimus, rejicit & damnat, à refutatione autem illius sedulo abstinet ob rationes supra à nobis datas. Testantur hoc clara quædam loca merito inspicienda & attendenda (n): Et hæc judaicæ traditionis heredes & discipuli interminabilium fabularum post mille annorum regnum futura contendunt, interficiendumque Gog principem Ros, Mosoch, &c. &c. &c. Hoc illi dixerint: Nos autem cæptæ explanationis sensum tenentes, singula quæ proposuimus differamus (o). Omnia autem usque ad eum locum, in quo succedit templi edificatio, hi, quos supra diximus Judæos & judaizantes, ad ultimum tempus referunt, &c. &c. Nos autem cæptam Tropologiam sequentes hoc dicemus (p).
Hæc

(m) Nouvelle Bibliothec. des Auteurs Ecclesiast. T. III. pag. 135. (n) Comment. in Ezech. l. XI. Op. T. V. pag. 440. (o) ibid. pag. 441. (p) In Joel. Op. T. VI. pag. 55.

Hæc illi & nostri judaizantes, qui mille annorum regnum in judæa sibi finibus pollicentur & auream Hierusalem, & victimarum sanguinem, & filios, ac nepotes & delicias incredibiles, & portas gemmarum varietate distinctas. Nos autem dicamus quod & suscitavit Dominus post adventum suum. &c. &c.

§. 17. Haud quidem diffiteor, videri Hieronymum nonnunquam Chiliastas cum suis sententiis & falsis interpretationibus refutare (q). Qui mille annorum in terra Judæa regnum Christi recipiunt, judei videlicet & nostri judaizantes, conantur ostendere turrim Hananeel &c. &c. Suspicionis suæ hanc aurulam capiunt, quod à turre Anathot, quæ hodie appellatur Hieremia &c. &c. Et (r) alibi: Quodsi Judei & Christiani judaizantes hæc ad mille annorum voluerunt referre regnum, necessitate coguntur, ut suscipiant omnes, qui salvi fuerint, habitaturos in terra Israel, edificandam Hierusalem, construendum templum, cunctas legis ceremonias exercendas.

§. 18. Minime autem illos refutare, eorumque sententiam in adductis locis destruere, ipsa ocularis inspectio docet. In priori enim loco Chiliastarum argumenta, quibus fabulam suam probare putant,

D 2 tan-

(q) Comment. in Hieremiam l. VI. Op. T. V. pag. 288. (r) Comment. in Ezech. lib. XI. Op. T. V. pag. 437.

tantum recitat, suamque sententiam exponit, luculenta illa formula: Invocantes igitur Dominum Salvatorem &c. aggrediamur ædificium civitatis &c. In posteriori loco urget tantum Chiliaftas, ut si unum accipere velint, reliqua exinde promanantia non detrectent.

§. 19. Adfunt, adfunt, nonnulli hic alta clamabunt voce, loca, in quibus Hieronymus Chiliaftas, eorumque sententias dilucide & proluxe refutat. *Respondent, inquit (s), amatores tantum occidentis literæ & in mille annis exquisitos cibos gula ac luxuria præparantes, &c. quæ sit ista cælestis Hierusalem, cui nunc dicitur, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos &c. &c. &c.* Quo certe in loco expresse ait: *Perspicuum est, sub occasione justitiæ, quod virtutis est nomen etiam ceteras virtutes in adificationem ecclesiæ debere nos quærere, nec judaica deliramenta sectari.* Proluxe quoque Chiliaftas eorumque sententiam refutat. *Quis hic nobis vitio verteret, si adversariorum candidam confessionem acceptemus & inferamus, Hieronymum rabie Chiliaftarum non esse motum nec metu perculsum, quo minus illos*
damna-

(s) Comment. in Esaiam l. XV. Op. T. V. pag. 169. seqq.

damnaret? Illos enim refutans, & sententiam eorum judaica deliramenta non sectanda vocans, utiqve damnat. Fac autem refutare hic Hieronymum Chiliaftas, ideone autem ratio nostra enervata & destructa, qva asseveravimus Hieronymum in brevi Prophetarum explanatione à proluxa refutatione Chiliaftarum abstinuisse? En ipsam clausulam ab Hieronymo ipso huic refutationi additam: *Excessimus brevitatis modum, qui utilis est in omnibus, quæ dicenda sunt, nequaquam nos juxta Hebræos & nostros Semijudeos in terris, sed in cælis urbem DEI quærere, quæ in Christo monte sita latere non potest.* Expresse testatur Hieronymus, se refutando Chiliaftas brevitatis modum excessisse, innuitqve tacite, brevitatem alibi obesse, quominus illos refutet.

§. 20. Objicient adhuc alii illa Hieronymi verba, in quibus non tantum affirmat se virorum ecclesiasticorum explanationem commemorare, sed sibi etiam illarum judicium arrogat ajens (t): *Hæc dico, ut noveris, quos in Propheta hujus campo habuerim præcursores, quos tamen ut simpliciter & non superbe, (sicut quidam meorum amicorum semper insibilat)*


tue


(t) Comment. in Oseam. Proëm. Op. T. VI. p. 4.

*tua prudentia fatear, non in omnibus sum securus, ut
 iudex potius operis eorum, quam interpres existerem,
 diceremq, quid mihi videretur in singulis. Hic inqui-
 ent Hieronymus de sententiis virorum ecclesi-
 asticorum iudicare vult, ergo etiam falsas & er-
 roneas refutare? Verum enim vero iudicium,
 quod sibi Hieronymus arrogat non præcise refu-
 tationem importat, sed dicit tantum certa illa
 signa notasque, quibus manifestat, quid verum
 quid falsum agnoscat, quidve sequendum quid-
 que fugiendum & rejiciendum. Atque hoc ubi-
 que ferme in articulo de millennio præstat, ubi
 iudex sententiæ ecclesiasticorum virorum est,
 aperte manifestans, se illam erroneam habere,
 & saniora tradere velle. Hinc illa formula: hæc
 illi dicunt, nos autem &c. vel etiam sententiam
 illorum fabulam, errorem minime sequen-
 dum, deliramenta non sectanda vocat. In
 quibus satis clare se iudicem exhibet,
 non refutorem.*



Fr. Reppien,
Buchbinder
in
ROSTOCK
bey der Marien-Kirche.





the scale towards document

1141

...S IN SPECIE, 63

Staats-Teuffel/ h. e.
atque diabolicas Opi-
CO & PRIVATO, sc. de
raeminentia atque Prace-
silberne/eherne/steinerne
adorabant omnia, quæ
Lapide & Ligno erant
, h. e. Sie hiengen ihr
und vertiefften sich in
n und Hoffart/ seu,
en in Fleisches-Lust/
ärtigem Leben. (En
weder sehen/ noch wan-
animata, insensitiva,
damnosa) die auch nicht
örde/ Zauberey/ Hure-
etiam non pœnitebat
per Duella; suarum In-
Verba superstitiosa; sua-
dolescentia atque Juven-
rum in Conjugio; ac suo-
e Equitatis & Justitia.)

yncritistæ, Machiavel-
on solùm nullam agunt
missa Homicidia, Incan-
teria & Furta; sed, quod
defendunt etiam patra-
uanta Scandala! Nihil-
ide Salvifica atque Salute
!

stri Seculi descriptionem! Ec-
coloribus modernos Impieri-
stas,

520
Image Engineering Scan Reference Chart T2263 Serial No.